



Iohannes Theodoricus ex nobili familia Plenningerorum natus est, Annum natiuitatis Domini circiter millesimum quingentesimum decimum. Is à pueris bonas literas didicit, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Postea quoque rebus Politicis operam dedit, & etiam bellorum studium secutus, magnum sibi rerum usum comparauit. Id cum Christopherus dux Wuirtembergicus intellexisset, eum inter suos consiliarios admisit, atq; suo nomine hinc inde res magnas apud principes expedire iussit. erat enim ille pietati deditissimus, & naturali facundia cū adiuncta prudentia præditus. Postea quoq; anno millesimo quin-

gentesimo quinquagesimo primo, cum Iohanne Hecklino nobili Iureconsulto, à principe suo legatus ad Tridētinum Concilium missus, ut confessionem doctrine Wuirtebergicam scripto cōprehensam publicè exhiberent, & Theologos uenturos dicerēt, qui copiosius omnia tractent, atq; defendant, modò iuxta Basilicnsis Concilij formulam ipsis caueatur.